



Scientia Sanctorum

Collecta Ex Meditationibus Ludovici De Ponte, Joannis Busaei, Joan. Suffren, Juliani Hayneufve, Et Antonii Gaudier, &c. E Societate Jesu, In Dominicis, Festa & ferias totius Anni digesta. Cum Indicibus duobus. I. In singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia

Puente, Luis de la

Dilingæ, 1685

15. De expectatione partus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60561)

num, nec tamen cognovit usque ad partum, nec post. Qualis deinceps inter eos convictus?

MEDITATIO XV.

De expectatione partus.

PUNCTUM PRIMUM.

Quomodo ipse Christus infans expetierit ardenti desiderio perficiendi salutem nostram, ut jam tunc diceret: *Baptismo habeo baptizari; & quomodo coarctor, donec perficiatur?* Nihilominus continuit sese per novem menses, neque ad diem secum dispensavit, quod ea inclusio pœna quædam esset, ad satisfaciendum pro nobis; quales occasiones non omittebat. Deinde, erat quasi quidam secessus, in quo opus suum Patri commendabat, antequam illud aggrediretur; sicut in deserto comparavit sese ad prædicandum per dies quadraginta.

I.
Nascēdi
deside-
rium in
Christo.
Luc. 12,
50.

PUNCTUM II.

Desideria B. Mariæ videnti, & fruendi aspectu Filij, quem sciret Deum, & ex ipsa hominem. Item fovendi, serviendi ipsi, maternaq; obsequia exhibendi, pro eo, quod dignatus esset ipsam habere matrem. Quare dicebat: *Quis mihi det te filium meum, ut inveniam te foris, & deosculer te?* Et tandem optabat eum prodire communis salutis causâ. Ego similiter in me desideria excitabo, ut Christus in me & aliis nascatur per gratiam, utq; illum omnes amēt, eiq; serviant.

In Beat.
Virg.
Cant. 8.

1.

Prov.
28. 25.
Prov. 31.
2.

viant. Item conceptos animo salutare affectus, ut pariam, & in rem deducam, adnitar: quòd ni fiat, velut fœtus, ultra tempus utero inclusus, excruciat matrem, ita cohibitæ inspirationes divinæ exulcerant mentem. *Desideria*, inquit Sapiens, occidunt pigrum. *Vult* quippe, & non *vult* Unde monet Apostolus: *Spiritum nolite extinguere*. Huc referri possunt antiphonæ Ecclesiæ: O Sapia! &c.

PUNCTUM III.

B. V.
certa de
virgini-
tate.

Isa. 7. 14.
Mat. 1.
23.

Luc. 1.
47.

Ioan. I.
23.

EXpectabat Diva partum, certa de integritate sua, siquidem integra conceperat, & habebat firmum Propheticum sermonem: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est, nobiscum Deus*. Et se illam esse considerans, de qua prædictum erat: *Exultabat spiritus ejus in Deo salutari suo*, dicebatque: ô tu verè mihi Emmanuel! nam & Gabriel ad me: *Dominus tecum*. Cæterùm non angebatur de futura partûs difficultate, doloribusque, ut cæteræ matres, quando ipsa sine carnali voluptate conceperat: tantùm erat intenta præparandæ animæ affectibus pieratis ad vicinum partum, qualiter nos convenit disponi ad Christum excipiendum, juxta Præcursoris monitum: *Parate viam Domini, intentionem dirigite, superbiam deprimite, asperitatem morum deponite*.



MEDI.